


Simia exulta

AD
AUDIENDAM VALEDICTIONEM
DISCIPULI NOSTRI,
INFRA NOMINATI,
DIE CRASTINO,

IN
AUDITORIO MAJORI,
HORA OCTAVA MATUTINA,
INSTITUENDAM,

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS, AMICOSQUE NOSTROS,
PRÆSENTIBUS LITERIS,
OFFICIOSE ATQUE AMANTER
INVITAT

M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ RECTOR,



CYGNÆ,
LITERIS FRIDERICIANIS.





Simia tam varium natura animal, tam ad imitationem aptum est, ut, qui oculis non subjecere, animis concipere nequeant. Omnem propemodum formam, quæ in morum membrorum cadit, induere amat. Testem variantis hujusce imitationis cito Aelianum, solertem illum indagatorem naturæ. *Is, αλληλόματον ἐστὶ ζῶον, inquit, ὁ πίθηκος, καὶ πᾶν, ὃ ἴσ' ἀν' ἐνδιδάξῃ τῶν διὰ τῆ σῶμα ἔχει προεπιμένον, ὅδε ἀσείμα ἀκριβοῦς, ἵνα μάθῶν καὶ ἀποδείξῃται αὐτό.* i. e. ad imitationem aptissimum animal est simia, omne, quod corpore agitur, si doceatur, præclare discit, ut etiam id ipsum actione ostendat. (a) Subjungit continuo, ne sine experimento locutus sibi videatur, si saltando erudiatur, saltationem scire satis assequi; si tibiis inflandis admoveatur, non pessime canere bestiam Proteo mutabiliorem: quin & aurigæ interdum munus obire, quod ipse suis oculis aliquando vidisset, cum vel habens modo adduceret, modo laxaret, vel flagello, ubi usus esset, jugales equos adigeret. Juvat, rem exemplo illustrare. In legatione, quam Rex Bengalæ, anno 1660, ad Regem Mogorum expediebat, currus triumphalis præ cæteris muneribus admirationem iniecerat spectantibus. Auro gemmisque refulgens, non humana, sed belluina directione ducebatur. Currum duo caballi candidissimi ac mire perornati trahebant. In superiore currus loco ingens Molossus, velut in folio regio, sedebat, phaleris monilibusque amictus. Crederes, bestiam sentire sortem suam: adeo superbia eam ultra pecorum conditionem extulisse videbatur. Obviis enim Proceribus honorem debitum, declinando caput, quasi pompam regalem intelligeret, exhibebat. Nec deerat satellitium splendidum. Namque simiæ, ad nutum Domini paratissimæ, superbo incedentes vestitu, thronum circumdabant, idem submissione capitis factitantes, quod caninum Regem facere vidissent. Præcipue res spectaculo dignissima, simiæ grandis, aurigam agens, aurea indutus chlamyde. Hujus pileolus, impositus capiti, auri gemmarumque nitorè oculos præstringebat. Manu sinistra lorum tenens, dextra movens scuticam, tam dextre equos flectebat, ut viderentur a peritissimo venedario agitari. Gavissus novo spectaculo Rex, in pavimento regio, convivium personatæ huic societati jussit instrui, apponique, quid equis, quid Molossis, quid ciborum simiis congrueret. Ibi gravitate pari (quippe ad omnia prius edocti fuerant) quisque suo contentus pabulo delitiabatur. (b) Quis igitur simiis in imitando calliditatem naturæque solertiam negaret? Inde evenit, ut nobilissimis etiam naturis simiarum appellatio tribueretur. Silebo vulgarissimam *simiam Dei*, Diabolum. Homines sese hoc cognomento, nostra ætate, vel onerant mutuo, vel exacerbant atque perstringunt. Par ferme mordacitas linguæ veterum quoque secula corripuit. Marcus certe Regulus, caudicus Romanus, Rusticum Arulenum *Stoicorum simiam* appellavit, cum post mortem ejus, qua insultaverat, librum recitasset, publicassetque: (c) idque ob eam causam, quod, ut Erasmus opinatur, barba & pallio Stoicum ageret verius, quam moribus. (d) Nec Cicero veretur, de Appio Claudio, homine ingrattissimo, scribere: Malui collegæ ejus me obligare, quam illius *simiæ* vultum fubire. (e) Aristophanes quosdam *δημοπιθηκας* nominat, quasi *populi simias*, citante Erasmo. (f) Et Argentarius *Cestii simius* habitus est apud Senecam, qui de eo hoc scriptum reliquit: Quid putatis, ajebat Cestius, Argentarium esse? Cestii simius est. Solebat & Græce dicere: ὁ πίθηκος *us*. Fuerat enim Argentarius Cestii auditor, & erat imitator, & sic solebat jurare: Per manes Præceptoris mei Cestii, cum Cestius adhuc viveret. Omnibus autem insistebat vestigiis Cestii: æque ex tempore dicebat, æque contumeliose multa interponebat: illud tamen optima fide præstitit, cum uterque Græcus esset, ut

(a) D. nat. animal. l. 5. c. 26. (b) Athan. Kircherus Chin. illustr. Part. 4. cap. 7. Ad hæc Agræ, spectante P. Roth. (c) Plin. Epist. 5. l. 1. (d) Adag. Chil. 3. cent. 5. (e) Epist. fam. l. 8. 12. (f) loc. cit.

ut nunquam Græcè declamaret: illos semper admiraretur, qui non fuerunt contenti unius linguæ eloquentia. Cum Latine declamaverant, toga posita, sumpto pallio, quasi persona mutata redibant, & Græcè declamabant. (g) Tati-
 anius orator est *simia* cognomen adeptus, quod omnia ingeniosius imitando
 exprimeret. (h) Julianum Imp. adulates Professores ab hirsutie Capellam
 nuncupabant apud Constantinum Cæsarem: sed & loquacem talpam, &
simiam purpuratam. (i) Sic Chronica aulae regiae de Johanne, Rege Bohemo-
 rum, in luxum Bohemicum sui temporis inuenta, tandem sermonem ita fini-
 unt: Exiit nunc proverbium generale: ad modum *simia*. *Boemia* habet se:
 facit enim, quicquid alios viderit exercere. (k) Heraclides per imprudentiam
 ex Dionysio perperam citaverat, quod extat apud Sophoclem. Missum igitur
 cum ei esset exemplar, ut, conspecto ibi carmine, agnosceret errorem suum:
 errorem vero agnoscere nollet, dicens, casu fieri posse, ut in diversis Poëtis
 versus congruerent: tunc quidam in eum his verbis stilum acuit: γέροντι θη-
 ρῖος ἀδελφῆς τῆς ἀγῆς, *simia senex* haud capitur laqueo. (l) *Tragicam simiam* per
 convitium dicebant eum, qui indignus fungeretur honoribus, opibusque pol-
 leret; homuncionem, aut vix hominem, sed simulacrum hominis, eo verbo in-
 nuentes. (m) Bas. Anton. Caracallæ *simia Alexandri M* notam inusserunt, cujus
 & nomen & gestus sumit, conspecto ejus corpore. (n) Athanasius Kircherus,
 cujus supra mentionem feci, nunc Geometram, nunc Geographum, nunc
 Mechanicum & nautam, sæpe Magum & Astronomum, subinde Philosophum
 & Medicum, mox & Theologum egit. Dumque per omne genus scientiarum
 vagabundus errat, & modo infra terram se abdit, mundum magneticam
 aliasque profectus: ipsemet, quod merito mireris, se veram *artium & scientiarum*
simiam appellare non erubuit. (o) Sed & clarissimis Scriptoribus id nominis
 adhæsit. Demosthenes AEschinem vocavit *simiam Tragicam*, quod cum esset
 nequissimus, splendidis verbis probum civem ageret. (p) Oribasius, ob in-
 comparabilem doctrinam pene pro Deo habitus, de quo illud: ἀξιῶ εὐσεβῆος
 διὸς ἀρετῆς, dignus præmio pietatis divinus Oribasius: qui etiam mentem
 apum habuisse dicebatur, quod veterum Medicorum flosculos hinc inde vin-
 demiarit, (q) Oribasius inquam, Juliani Imp. jussu, Medicinam in compendii-
 um redegit, totum fere Galenum in septuaginta duos libros constringens:
 cujus studii gratia eum *Galenii simiam* vocitavere. *Simia Galeni* & ipse Paulus
 Aegineta audit, quia Epitomen suam potissimum e Galenicis, etiam institutum
 Galeni accuratissime secutus, decerpfit. Qua de re legi meretur præfatio
 Hieronymi Gemusæi, in libros septem Aeginetæ. (r) Philostratus cur
simia Evangelistarum dictus sit, (s) neminem literatorum ignorare arbitror.
 Certe Vita Apollonii Evangelistarum, vitam Domini narrantium, imitationem
 sapere videtur. Sed hæc melius ex elegantissima & plane exquisito Philostrato-
 rum editione Professoris Lips. celeberrimi, D. Gottfridi Oxlerii, hauriri ju-
 dicarique poterunt. (t) *Plutarchi simiam* Scaliger, & cum eo alii, dixere Macro-
 bium. (u) Uterque enim profundum antiquitatis Oceanum metiri aggressus,
 ille quidem in uno libro integram Bibliothecam, hic tale quiddam una aut
 altera opera adornavit, ut ejus nati nec ipsam sapientiam penitere possit. Dio-
 nysium Coronæum Erasmus *Budei simium*; Drusium Scaliger *Lipsii simium*; Lip-
 sium multi *simium Taciti*; Buchananum *simiam Livii* appellant. In vertendis
 Bibliis Petrus Piscator *simia Lutheri* nomine passim vapulat. Da talis impositio-
 ne

(g) Controvers. 26, l. 4. Hanfenius d. jur. jur. vet. cap. 16. (h) Coelius Antiqu. lect. 1, 3, cap. 10. (i) Coelius l. c. lib. 25, cap. 17. (k) Rer. Bohem. Scriptor. pag. 72. (l) Zwingerus theatr. vol. I. vit. hnm. p. 147. (m) Erasmi. l. c. Chil. 2. cent. 8. (n) Epist. Aurel. c. 21. (o) Alegambe Biblioth. Jes. p. 48. (p) in orat. pro tetsiph. (q) Albani Torini Epistola ad Philippum Basil. Episcop. Operi de re Medica præfixa. (r) Præfixa est libris dictis Aeginetæ. (s) Mornæus d. verit. relig. Christ. c. 33. (t) conf. A. G. erud. Lips. Mens. April. 1709. (u) in Conjectan. ad Varr. pag. 41.

PKTa 1785

X 2986797

tione nominis alii judicent, quomodocunque libet. Mihi ea dura, iniqua, imo & iniquissima videtur. Cogitemus modo, simiam animal petulantissimum esse, adeo ut non vereatur, vel ipsum leonem per lasciviam agitare. Ex quo, cum stolidus aliquis in homines nasutos & contumeliosos incidit; ἐν τοῖς ἐν πειθήκοις, afinus inter simias, dicimus. (vv) Cogitemus, esse animal ad homines deridendos a natura factum: sicut vel purpurea veste simias (πίθηκος ἐν πορφύρεα) convestiri videmus, quo parum attentos & imperitos fallant, proque homine salvetur simiolus, aut res magis sit ridicula, si fucus deprehensus fuerit. (x) Esse præterea deforme animal (non quidem in se: nam opus Summi Creatoris omne, etiam bubo & bufo, habet suam formositatem, sed in oculis vulgi). Quod Græci suo calculo comprobant, quando dicunt: τῶν πειθήκων ἴσους Φοῖβῳ ἁδύσορφός ἐστι, simiarum pulcherrima deformis. Simia est simia, etiam si aurea gestet insignia. Esse denique ridiculum animal, & vulgo contemptum, ut Dion Prufenfis idcirco non male locutus sit, cum dixit: quos ego non pluris facio, quam, ut dici solet, simias. (y) Unde simiorum gestus risum apud homines etiam feveros excitare valent. Unicum nomino Scytham Philosophum, Anacharsidem. Inducebantur aliquando homines in convivium, ad risum movendum edocti, ridentibus cæteris omnibus, Scythia ille solus risu abstinuit. Productis autem mox simiis, a ridendo sibi non temperavit, rogatusque causam: hæc, inquit, (simiæ) sunt γελοῦσποιόι, animantia ad faciendum risum idonea: illi (homines) fingunt. (z) Si quis olim simiam vidisset, statim, ut domo exierat, pedem referebat, & redibat, malos sibi ominans illius diei actiones fore; quod illud omen primum inauspicatum haberet. (aa) Reputemus contra, hominem sanctum animal, atque mentis capacem esse: (bb) rationis esse participem, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adjungit atque annectit futuras, facile totius vitæ cursum videt. (cc) Ponderemus verba Lactantii: Fecit Deus mundum propter hominem. Hoc qui non videt, non multum distat a pecude. Quis cælum suspicit, nisi homo? quis solem? quis astra? quis opera Dei miratur, nisi homo? quis colit terram? quis ex ea fructum capit? quis navigat mare? quis pisces, quis volatilia, quis quadrupedes habet in potestate, nisi homo? Cuncta igitur propter hominem Deus fecit; quia usui hominum cuncta cessere. (dd) Finge igitur, aliquem, ut supra Argentarium, stolidam ratione alterum imitari: dura tamen comparatio ejus cum simia, nedum ipsa appellatio erit. Fac alterum ab altro nimium in assequendo exprimi, citra dementem tamen rationem: nisi iniquum sane simii cognomen fuerit. Quid censendum de imitatore prudenti, moderato, diligenti? Num propterea simiæ nomine traduci mereatur, quod imitationem laudabiliter suscepit? Næ Virgilius Theocritum, Homerumque, Frischlinus Maronem imitari simiæ forent. Poætæ & pictores simiæ forent, cum pictura mutum poëma, poëma loquens pictura esse existimetur. Ipsa ars naturæ æmula simia foret. Absurdum, Artem naturæ æmulam, non simiam, veledicturus discipulus noster,

ANDREAS ERLMANNUS, *Cygnus*, & Academiam aditurus, oratione Latina, speciminis ultimi loco, ostendere, & pro virili sua exponere conatus est. Quapropter die crastino una mecum frequens auditorium optat sibi. Discedentem bono voto profequetur

JOH. CONRADUS JAHN, *Cygnus*. Nos propitia fata Erlmanno semper precamur. P. P. d. 13. Maji. An. 1709. *Cygnææ*.

(vv) Gellius N. A. l. 2. c. 23. (x) Erasim. Adag. Chil. l. cent. 7. 10. 11. (y) Lib. D. Trojauum capta. (z) Athenæus l. 14. (aa) Ex Luciano Jul. Cæs. Balengerus d. omnibus l. 3. (bb) Ovid. Met. f. 2. l. 1. (cc) Cic. Off. l. 1. (dd) In Epitom. c. 10.



nc

Ha
785

FK 124
127


Simia exultans

AD
AUDIENDAM VALEDICTIONEM
DISCIPULI NOSTRI,
INFRA NOMINATI,
DIE CRASTINO,

IN
AUDITORIO MAJORI,
HORA OCTAVA MATUTINA,
INSTITUENDAM,

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS, AMICOSQUE NOSTROS,
PRÆSENTIBUS LITERIS,
OFFICIOSE ATQUE AMANTER
INVITAT

M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ RECTOR,



CTGNEÆ,
LITERIS FRIDERICIANIS,

